Fid. V. et presentibus requisitis easdem res et bona pupillorum praedictorum tutori praedicto ita extradant ne pupillis inde aliquod damnum eveniat neque patiantur eosdem tutores pupillorum in fide et diligentia Fid. Vrarum quicquam desiderari. Pro gratia nostra officiique sui eorum debito.

Mandatum ad Gedanen.

Sigismundus etc.

Spectabilibus et Famatis Burgrabio Proconsulibus Judici et Scabinis civitatis nostrae Gedanen. Fid. nobis dilectis gratiam nostram Regiam. Spectabiles et Famati Fid. nobis dilecti. In causa et actione dividundae haereditatis inter Nobilem Joannem N. uxoremque illius et liberos Spectabilis olim Joannis Konarti Cons. Gedanen. tam ex primo quam ex secundo matrimonio susceptos tutoresque eorum. Tulimus non ita pridem decretum nostrum cuius executio quamvis prima loca quoad efficiendam et definiendam divisionem praedictam ad officium commissariorum nostrorum pertineat tamen si forte pars citata decretis eorundem commissariorum obtemperare noluerit, vel ipsi commissarij ex iusta aliqua causa id ipsum perficere non potuerint ultima executio sicut omnium causarum ita huius quoque ad officium Fid. Vrarum tamquam ad Magistratum civitatis ordinarium pertinet. Mandamus itaque Fid. Vris, ut quocunque modo hoc negotium pro executione ad officium Fid. Vrarum devenerit sive id ex remissione commissariorum nostrorum sive ex vi decretorum in ea causa latorum factum fuerit Fid. Vrae rem tam iudicatam quam adhuc iudicandam realiter ita exequantur pars actoris in officio Fid. Vrarum nihil desideret neque ullam de illis conquerendi habeat occasionem. Pro gratia nostra officiique sui debito

Confirmatio

Sigismundus etc. Significamus etc.

Quod cum Illres et Magci Stanislaus Konar de Baliche ad presens Castellanus Cracoviensis tunc vero Castellanus Brześcien. et Leo Sapieha Magni Ducatus Lithuaniae supremus Cancellarius Commissarij per nos et ordines Regni ad componen. civitatis nostrae Rigen. statum dati et deputati facta in seditiosos quosdam cives iusta animadversione inter alia egregia sua

356